

rationabiliter nos inducunt, ut personam suam congruis attollamus honoribus et ad ea, que suum et subditorum suorum honorem, utilitatem et commodum respiciunt, animum benivolum regie celsitudinis inclinemus. Hanc igitur intuitu premissorum sibi necnon successoribus suis ac ecclesie Eystetensi predictae gratiam perpetuo duraturam duximus faciendam, quod episcopus ipse et successores sui in castro Mõrnsheim et in opido sito immediate sub eo habeant et habere possint et debeant ius temporale, quod vulgariter halsgericht dicitur, sive exercitium iudicii et iusticie ac gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos et malos, prout et quociens fuerit oportunum. Indulgemus eciam ex habundanciori nostra gracia et favemus, quod quater in anno in eodem opido forum annuale sive nundine, que jarmarkt vulgariter nuncupantur, et singulis feriis secundis ebdomale forum perpetuis temporibus possit et debeat celebrari. Dantes et concedentes eidem episcopo Berchtoldo eadem fora instituendi et eciam ordinandi plenariam facultatem, prout sibi pro utilitate et comodo suo et ecclesie sue conveniencius videbitur expedire. Nulli ergo omnino homini liceat hanc nostrarum concessionis et indulti gratiam infringere aut ei ausu temerario contraire. Siquis autem contrarium attemptare presumpserit, indignacionem nostram regiam et penam centum librarum auri puri, quarum medietatem fisco nostro regio residuamque iniuriam passorum usibus applicari volumus, se noverit irremissibiliter incurrisse. Presencium sub nostre maiestatis sigillo testimonio litterarum.

Datum Ratispon. anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, indiccione septima, VIII^o Kalen. Iulii, regnorum nostrorum anno octavo.